

PETRI RAMI SCHOLA-
RUM MATHEMATICARUM
LIB. XXXI. IN DECIMUM QUIN-
tum elementorum.

Decimus quintus liber habet materiam decimi tertii consimilem, sed inopem admodum, & vix elementorum nomine atq; inscriptione dignam, quisquis ejus author fuerit sive Apollonius, sive Hypsicles, sive Aristæus, sive quivis alius. Definivit Euclides 1 & 2 d 4 inscriptionem & circumscriptionem rectilineorum inter se, speciale tamen nihil instituit, quomodo triangulo triangulum, quadrangulo quadrangulum, aut triangulum quadrangulo ascriberetur. Rectilinei adscriptionem cum circulo tantum quarto libro instituit, & solidorum corporum adscriptionem cum sphaera decimo tertio duntaxat instituit. Apollonius, Aristæus, Isidorus, Hypsicles, aut nescio quis alius superare hic Euclidem voluit, & adscriptionem solidorum corporum ordinatorum inter se docuit, negotiolum sanè pusillum, tamen hoc etiam ad extremum complectamur. Propositiones numerantur quinque, sed materies est minimum decem, omnium tamen stereometricarum, ut libri superioris elencho hic simile quiddam sit, quiddam dissimile.

1 p 15 Sententiam problematis hanc habet.

Si tres ab eodem cubi angulo diametri quadratorum reliquorum diametris connectantur, inscribent tetrahedrum cubo.

Demonstratio hic brevis est de triangulis æquilateris, quia latera sunt diametri æqualium quadratorum. Sed quæstio hic gravior est, quomodo ad 1 & 4 d 4. possit inscribi tetrahedrum cubo, cum quatuor anguli non videantur posse sex plana cubi tangere, de quo jam antea ad 1 & 4 d 4 dictum est. Singuli tamen tetrahedri anguli hic singulos terminos cubi tangere, nempe singuli ternos, sed extremos. Hypsicles nihil definit. Campanus autem ambiguè præcipit ad 12 p 15. Tetrahedro (ait) non posse inscribi cubum, icosaedrum, dodecahedrum. Non enim (ait) sunt in tetrahedro bases aut anguli aut latera, in quibus anguli cubi icosaedri, dodecahedri possint extrema tetrahedri contingere. Hic Campanus inscriptionem ostendit esse in contactu angulorum inscripti cum extremis circumscripti, & quidem in basibus, vel angulis, vel lateribus ejusdem circumscripti, iterum ibidem ait octaedrum non posse inscribi icosaedro, quia sex anguli octaedri non possunt contingere sex vel bases, vel angulos, vel latera icosaedri. Hæc (inquam) ambiguitas est Campani, contactum tripliciter definientis à planis, à lateribus, ab angulis. At necesse est si figura figure inscribitur, ut singuli anguli inscriptæ tangant singulos terminos circumscriptæ. Itaque cum hic solidi terminus sit basis plana, contactus inscripti & circumscripti fiet ex angulis inscripti, & terminis circum-

QQq 3